



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 56. Reliquæ quinque Gallorum urbes a Catholicum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1504.

§. LVI.

*Reliquæ quinque Gallorum urbes a  
Consalvo occupatæ.*

Necdum tamen satiata erat vincendi cupiditas, qua Consalvus flagrabat, eo quod Galli adhucdum in Neapolis Regno quinque urbes possiderent; verum eas expugnandi non adeo expedita offerebatur opportunitas; Hispani enim retardata stipendiorum solutione seditionem moliti, sibi metipsis Duces elegerant, hinc ipse Consalvus hac perfidia graviter commotus, in morbum incidit, aliunde vero pactis utrinque induciis ab hostilibus armis cessandum videbatur; Nihilominus Consalvi animus cunctis hisce obstaculis longe superior evasit, cum ipsa quoque præfati articuli ambiguitas ambitioni, atque Hispanorum fallaciæ egregie deserviret. (\*) Hi enim contendebant, articulum, quo mutuuum inter utramque Nationem commercium interdiceretur, obstare, ne quinque illis urbibus annonæ, ac cetera vitæ subsidia advenherentur: Consalvus igitur hoc præter-

(\*) Observandum, induciarum legibus servitum fuisse: in illis Neapolis Regnum etiam comprehendi. §. LV. perparam ergo fracta se dei insimulantur Hispani.

tu munitus milites suos, quibus effusa manu stipendia numerabat, hisce urbibus admovit, easque undique cingi præcepit, & Ludovico Arsiæ urbis Præfesto induciarum leges violatas querenti, responderunt Hispani, tam amplam esse verbi *Commercii* significationem, ut salva pacti fide vel unicam frumenti granum, aut frigidæ haustum in urbem inferri jure prohiberent. Illico Ludovicus se delusum cognoverat, unde omnium auxilii spe destitutus, cum suis copiis sonantibus tympanis, expansisque vexillis urbe excessit, eoque militari honore potitus, totam hostium Regionem emensus est, donec tandem terrestri itinere in Franciam rediret, ubi a Rege perbenigne excipiebatur. Interea Galli ceterarum urbium Gubernatores non parum dolebant, quod Arsiæ exemplum secuti non fuissent; quippe ipsi famis violentia ferme exanimati, civitatibus exire compellebantur, & insuper quamvis eorum, rerumque suarum luctuosissima esset conditio, nihilominus a viarum grassatoribus, atque rusticis una omnes funditus trucidabantur. Ludovicus comperta hac fraude Hispaniæ Legatos ad se venire jussit, coram eis graviter de Ferdinandi eorum Domini iniquitate questus, unde totus in eo erat, ut suorum cladem ulcisceretur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1504.

*Marian. ib.*